Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2117
Quelle:
Copyright:

tem cum aureo lemmate: *Elizabeth Bis Regina*, quod absque dubio referendum est ad Reges Maritos *Wenceslaum* et *Rudolfum*. Alia Pictura sedentem exhibet dextra Librum, laeva Sceptrum tenentem, tertia sedentem et duobus malleolis septem pro tonorum numero campanulas pendulas impellentem, qui concentus Nostratibus *Glockenspiel* (Carillon) dicitur, et originem Harmonicae hyalinae hodie celebratae dedisse videtur, quarta denique genibus innixam et precantem. Ceterae Picturae plerumque ad Textum adludunt. Ita ad verba: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus;* effictus est Vir clavam sinistro humero ferens, dextra manu contemtim Hostiam et Calicem arae insistentem demonstrans, quem ego *Cainum* interpretor. Ad verba: *Saluum me fac, Deus! quoniam intrauerunt aque usque ad animam*, supra comparet Deus, infra *David* jactatus in lembo, utque τὸ *usque ad animam* rite adpareret, nudus. Neque ludicris pro aevi more abstinuit Pictor.

Codex iterum eleganter compactus theca antica Nomen Jesu radiatum, Scutum tribus Liliis insigne cum Literis R. C. Zl. et anno 1591. postica Scuta Caesarum, Bohemicum, Austriacum &c. exhibet. Divinabit, qui volet.

DCCCLXXV.

R. 2154 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 236. f. max. luculente, splendideque tam, quod Textum, quam, quod Notas musicas spectat, exaratus, coloribus, et quibusdam Initiis etiam auro picturatis speciosus *Psalmodiam Chori* ecclesiastici totius anni de *Tempore*, et a *fol.* 126. de *Sanctis* complectitur, cujus posterioris tamen non paucae Membranae sub finem exciderunt, ut adeo sciri nequeat, a quo, vel in cujus Ecclesiae usum insignis hic labor susceptus fuerit. Interim sit locus conjecturae. In ipso principio, atque adeo *Dom. I. Adventus* ad verba: *Ad te leuaui animam meam*, litera A Mulierem habitu Regio de genibus precantem exhibet; similis visitur et quidem corona incincta eodem situ in lemnisco marginem exornante templo cuidam innixa. Quid obstat, quo minus eam *Elisabetham Bob. Poloniaeque* Reginam viduam Parthenonis Cisterc. *Brunnensis* Fundatricem putemus, cujus munificentiam spectavimus in sumtuoso *Lectionarii* Opere hoc *Vol.* pariter relato?

DCCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2153 XVI. Folior. 218. f. max. eodem prorsus cultu, ut superior, sed ad praecipua Festa XII. Picturis auro fulgidis, quae probant, artem illam metallum hoc tractandi non jam multo ante, ut opinabantur quidam, intercidisse, conspicuus eandem *Chori Psalmodiam* eodem ordine complectitur. Mirabere Clausulam illi praegrandi charactere miniato subjectam: *Iste liber est domus sancte trinitatis prope brun-*